

rimæ, & decisiones, atque resolutiones aliquæ, humiliter supplicat Sanctitati Vestræ præsentium Oratores, ut eas, si opus fuerit, iterum per viros doctos revivas, pro conservatione Catholice veritatis, sicut laudabiliter fecit Gregorius XIII. Apostolica auctoritate publicare dignetur; ne diutius, tot propositis questionibus, & opinionibus, Ecclesia conficiatur; inque varias sententias, offensivas, immo erroris plenas, dissectus Christi populus passim, & promiscue prolatur; sed, sedatis controversiis omnibus circa prædicta, omnes eandem fidem in his gravissimis materiis teneant, atque defendant. Negotium enim hoc amplius differri non potest. Quæ enim ex relatis contradictoriis sententiis prava fuerit, in dies magis radicabitur, amplius diffundetur, & periculosius ubique divulgabitur. Necessæque est, particulares aliquos, potius materialiter errantes, sive istos, sive illos, per fidei determinationem ad veritatem revocare, quam illos, sic fluctuantes, dimittere, in ipsorum, totiusque Christiani populi nocuum mentum non minimum.

5. Postremo Cælestinus ille Primus, Pastoris silentio errores foveri, dicebat: & Magnus Gregorius. Error, cui non resistitur, approbatur. Pio ergo modo, sive hinc, sive inde defendantur errores, præcendendi celeriter sunt, ne silentio tanto nimis foveantur.

6. Tandem, cum petimus determinationem, Theologi universi in confusione morantur, & quam fidem docere debeant circa gratiam Redemptoris, & liberum hominis arbitrium, penitus ignorant. Immo Theologica omnes materiæ circa potestatem Dei in liberum hominis arbitrium, circa ejusdem Divinam causalitatem, scientiam, voluntatem, providentiam, prædestinationem, justificationem, & merita nostra, sine certa regula manent: ita ut quilibet circa illas vel Catholicam teneat veritatem, vel oppositam falsitatem defendat.

Suppliciter ergo, & magna cum humilitate, patrique instantia, orandus est Pastor supremus, & navicular Petri Governator, sicut humiliter deprecamur, ne permittat, eam in hac opinio-num tempestate tandiu fluctuari, cum sit ventus valde contrarius; sed suprema potestate, sibi a Domino commissa, turbulento imperet mari, & fiet tranquillitas magna. Nec enim de rebus minimis agitur, sed in magno versamur discrimine, & periculo: tali videlicet, vel Pelagianarum pelago opinio-num, (quod, teste Hieronymo, hereticorum omnium venena complexur) vel Manichæorum, & Calvinistarum horrenda procella. Potissime cum parati sint omnes recipere, atque defendere, quicquid Sedes Petri (cujus fides deficere non potest) omnibus proposuerit esse credendum.

Supplicatio Ordinis Predicatorum coram Gregorio XV. pro definitione questionis de Conceptione B. Virginis.

BEATISSIME PATER.

Proclamat Dominicanus Ordo ad Vestram Sanctitatem, & eam implorat. Primo pro Depara Virgine Sanctissima, ut negotium hoc definiat, & quid in hac materia de B. Virginis Conceptione de fide tenendum sit, decernat: ut id ipsum sentiamus omnes, neque sint in nobis contentiones, & schismata, quæ Apostolus Paulus in Corinthiis objurgat. Sed non petit a Vestra Sanctitate, hanc, aut illam partem, unam, aut alteram opinionem determinate definiendam; hoc

enim esset ducere Spiritum Sanctum, a quo sumus ducendi, & edocendi: sed humiliter ad Sanctitatem Vestram pedes profusus exposcit, definiendam illam partem, sive sententiam, quam Spiritus Sanctus suggererit; cum scriptum sit: Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam; & alibi, Cum venerit Paraclitus, ille vos docebit omnem veritatem.

Proclamat secundo pro Matre Ecclesia sancta Catholica, ut quam primum Vestra Sanctitas ad hujus mysterii definitionem accingatur, ejus vetusta observetur consuetudo in dogmatibus fidei condendis circa res alias dubias, & inter Doctores controversas: nimirum ut Vestra Sanctitas aperiat valvas disputationis ad controversiam, & examinem prævium, hinc, & inde æquales in numero, & doctrina disputatores vocandos, qui Patrum præconum sententias evolvant, exacte sensum aperiant, & mentem expandant. Nostræque Provincia Hispaniæ ex nunc pro tunc pollicetur, se duos viros, conspicuos fama, Theologiæ scientiæ peritos, & Divinarum Litterarum confcios missuram, qui disputationibus, coram Sanctitate Vestra controversendis intersint, neque enim aliter vitari potest periculum frustrandi Decretum.

Proclamat tertio pro SS. Patribus, & præfatis Ecclesiæ Doctoribus, ne contra illos inauditis, & indefensos feratur sententia, quod omnium jura abhorrent: ut citentur ad præfatum examen, & compareant in loco disputationis, & circuli, eorum fide digna volumina; e quibus eorum Interpretes, veluti Procuratores, & negotium agentes, verba fideliter legant, & sententias in veritate deponent.

Necdum satis adjudicatur sibi causæ consultum arbitrabantur Predicatores; quanquam tertio jam pro vulganda Auxiliorum definitione supplicassent. Institerunt rursus fecutis temporibus sub Urbano VIII. anno 1627. die 24. Septembris, ac demum sub Innocentio XI. anno 1681. dum alii, e regione positi, sancita judicis silentio involvi, vellet. Quo uno argumento, etia alia nulla suppetere, abunde dignosci posset, quæ pars in celeberrima illa Auxiliorum Controversia superior evaserit. Si enim, instructa jam, agitata, & a Senatoribus præjudicata lite, sententiæque promulgatione ad tempus dilata, partem unam videas instanter, ac pene continuo pro late sententiæ promulgatione supplicare, omnique rationum pondere urgere, instare, adniti; alteram e contrario de suspensa judicii promulgatione letari cernas, choros ducere, exilire præ gaudio; nec modo pro vulganda sententiæ supplicare nunquam, sed, ne vulgetur omnino, conari pro viribus: numquid, amabo, priores illos, sancito judicio superiores, sibi que de superata lite bene confcios existimabitis? Id plane in præfatis Auxiliorum Controversia videas. Litem secreto judicat Summus Pontifex, lati Judicii solemnitate suspendit ad tempus; spondet publico Rescripto, Definitionem Apostolicam, data opportunitate, promulgatam iri. Quid interim dissidentes Actores? Predicatores, audito dilari judicii nuatio, consternantur; e contrario choros ducunt Jesuitæ: Illi pro vulganda sententiæ instanter, urgent, obsecrant: Isti, ne prodeat unquam, adnuntur. Quidni ergo ad judicatum Predicatoribus litem colligamus, alia licet argumenta non essent? Et tamen sibi plaudunt, triumphalibusque clamoribus scholas suas implent Thesum scriptores ridibundi, sed Sardonio risu; apud se semper victores, ubique nunquam non victi. Dum enim primæ Editioni extrema manus accederet, & ultimi folii rude exemplar recenti prelo sudans eximeretur, Jesuitarum Cadomen-

Quadragesima in gratiam Scholæ Augustino-Thomisticae adversus Molinianam Præjudicia, ex Superiori Auxiliorum Historia derivata.

Eleberrimæ Congregationis Historiæ suprema tandem manu imposita, brevem in gratiam scholæ Augustino-Thomisticae coronidem addimus: iis ex integro opere compendio delibatis, quæ illam juris prærogativa superiore certo probent; quæque totidem veritatis, a Thomistis assertæ, præjudicia, adversus Molinianos, cæteroque obrectatores, haberi debeant. Quamquam enim singula, seorsum accepta, minus forte causam conficiant; univèrsa tamen, simul spectata, absolutissima demonstrationis instar erunt.

Primum, illudque potissimum in gratiam Angelicæ Scholæ, adversus æmulam præjudicium istud esto, in quod tota hæc collimat Historia. Molinæ causa, integro decennio Romæ cogitata, septies ad examen vocata, toties suffragiis cadit: Schola Thomistica toties judicio vincit.

2. Academiæ, Lovaniensis, & Duacensis, Lessium, & Hamelium, Molinismi præformatores, Censuris notant; Thomistarum sententiam probant; suffragantibus Belgii Præfibus, Synodumque parantibus, ut Societatis doctrinam ex Juris forma configerent.

3. Academiæ Parisiensis Belgicarum Academiarum judicio annuit, eidemque prædicit suis in Joannem de Mercuria districtis Censuris.

4. Lessius gravem a Sixto V. animadversionem subit, quod, summo Lovaniensis Academiæ scandalo, prædestinationem, meritis nixam, Lovanii docuisset, & Catharini sententiam suscitasset.

5. Prudentium de Monte-major, alterum Molinismi velitem, configit Vallisoleana Inquisitio, probante Academiæ Salmanticensi, unaque sententiam pronuntiante.

6. Gaspar Cardinalis Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, ac supremus in Hispania Fidei Quaestitor, non pauca doctrinæ capita configit, quæ Molinæ Concordiam suam respererat: hincque illam extra ejus Jurisdictionis fines cogitur typis edere.

7. Molina Systema suum, quo Gratiam cum Libero Arbitrio conciliandam sibi sumit, novum prorsus agnoscit, nulli hæcenus notum, alienum ab Augustino, cæterisque Pelagianæ Sectæ delatoribus impervium.

8. Idem ille Systema suum, quo Gratiam seipsa efficacem, & prædestinationem, decreto per sese infallibili nixam, oppugnandam sibi sumit, proscripto jam dudum a Sixto IV., Perri de Rivo Axiomate superstruit: Quidquid per necessariam consequentiam sequitur ex impedibili, illud est impedibile, & necessarium. Eo quippe principio nixam Molinæ, ex gratis, ac decretis seipsis efficacibus Liberum Arbitrium læsum iri, colligit.

9. Molinam, ejusque defensores carpit Cardinalis Baronius. Societatis Præpositos monet, ne famam suam in illius defensione periclitari sinant.

10. Molinæ causam Ecclesiæ judicio dimittendam, censent Viri e Societate primæ notæ: quod excogitatum ab eo novæ Concordiæ Systema ex unius privati Viri ingenio natum esset.

11. Predicatorum doctrinæ calculum adjuvant Theologi e Societate primi subfellii. Molinam suam,

mensum Theses, 13. Maji anni 1699. defensæ, meas in manus venire. Has easdem, adhuc licet invivas, supra ex amici Litteris verbulo indicaveram. Sed his postmodum raptim perlectis, impletum expertus sum, quod quarto Præfationis Paragrapho fuerat ornatus: futurum scilicet ut erecta Rhemis ac Rothomagi Ludovico Molinæ, superba trophæa alibi passim ab ejus Concellitis excitarentur. Nec mora: en omnibus facta concidunt. Thesibus illis Moliniana de Divinis Auxiliis Paradoxa, sub adorando Domini nostri Jesu Christi nomine, ac patrocinio, in festam lucem proferuntur, ac etiam superbis reportatæ victoriæ titulis coronantur. Ratio conciliandi libertatem (verba sunt 8. columnæ) cum gratia per scientiam conditionatorum, & efficaciam gratiæ extrinsecam, Molinæ nec somnium, nec inventum est, ut quidam dolo malo fingunt. Ea doctrina multis in locis judicis multa subit; & habuit ubique præclara innocentie testimonia; ubique victoriæ defensoris palmam obtinuit.

Quæ etiam in dictis nova pompa exsequitur Theologus Professor, Molinam suam novis phaleris, & corollis ornans; scitiosque triumphos, in Belgio, Lusitania, Hispania, ac demum Romæ reportatos, superbe congerens. De quibus consule Appendicem. Non est, cur tabulæ manu secundo admoveamus, ut præposteros, ac ferros triumphatores nova velitatione exagitemus: jam satis abunde confecta res est. Atque ut nihil novi procedunt, quod a nobis in antecessum non fuerit occupatum, nihil ultra reponendum existimamus.

Vanis interim ejusmodi Epiniciis, toties repetitis, nemo non convincitur, necessarium profuisse, ut vera Moliniana Causæ Historia ex autographorum Actorum monumentis tandem erueretur, ac publici fieret: ne illius ignavis diutius illudderent falsæ Victoriæ defensoris falsi præcones; & qua parte steterit victoria, omnes intelligerent. Intelligent porro, quotquot vel mediocriter sapiunt, ex factis, per totum hujus Historiæ decursum candide enarratis, Prædicatoribus, omnibusque Augustinianis de Gratia doctrinæ Defensoribus additam fuisse Augustissimæ Congregationis judicio victoriam; illorumque juri, sic asserto, nullis temporum intervallis præscriptum esse, nulla unquam subsecuta definitione derogatum; sed unicam superesse sanciti Judicii solemnitatem, quod ubi Apostolica Sedi liberit, juxta habituarum Congregationum constituta promulgabitur. Quis enim questiones illas, novo, eoque accuratiori examine pro vulganda sententiæ limari vellet? In id siquidem solido decennio infudatum est: causa septies, & amplius sub incude fuit: Partes ad nauseam usque voce, ac scriptis auditæ: concessæ Reis induciæ, quantum vellet: excepta Academiarum, Episcoporum, Theologorumque judicis: illud demum adhibuit studium, quo majus in altera ventilanda questione nusquam videas. Quo fit, ut illa Augustini verba, (1) quodam sensu, ac spectata saltem hujusce examinis diligentia, usurpare liceat: Non amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam (si quando eam promulgari contigerit) cum pace sequamini.

suum, uti novatorem, non pauci exagitant, data opera Cardinalis Bellarminus, purus quidem, non Germanorum additamentis adulteratus, Cardinalis Toletus, Alphonsus Salmero, Benedictus Perrerus, Henricus Henriques, Joannes Mariana, varii Romani Theologiae Professores, Joannes Philippus, Claudius Typhanus, Dionysius Petavius, Gervartius &c.

12. Gratuitam Prædestinationem, cujus nulla ex nobis conditio, aut ratio sit, cui asserendæ potissimum incumbit Thomistica Schola, quamque novo impetu inflectatur novæ Concordiæ Architectus, adstruunt Deputati omnium Nationum Theologi, ab Generali Præposito Romam asciti, ut studiorum Canones præstant; ac veluti SS. Patrum, Hæreses Pelagianæ debellatorum, Summorumque Pontificum dogma, a suis tradendum, decernunt.

13. Divi Thomæ Sententiam, fatentur esse iidem illi Nationum Deputati, quam modo ejus esse, communiter negant Societatis Professores, nempe: *Secundas causas esse proprie, & univoce instrumenta Dei, & cum operantur, Deum in illis influere primum, aut eas movere.* Quod idem falsi sunt etiam Robertus Cardinalis Bellarminus Lib. 4. de Gratia, cap. 16. Franciscus Suares Lib. 1. Concurf. cap. 11. & in Opere posthumo de vera intelligentia Auxilii efficacis, cap. 40. Collegium Conimbricense Societatis Jesu Lib. 2. Physic. cap. 7. Quæst. 13.

14. Sixto V. & Clementi VIII. usque adeo perspectum est, Societatis Professores, nova ista Systemata procedentes, a Doctore Angelico procul abire, ut ob id maxime Societatis Præpositos moneant, ne Paterna instituta insuper habeant, quin & injunctum illis est, ut D. Thomam, uti proprium Doctorem habeant.

15. Jesuitæ Vallisoletani, post susceptam Molinianæ causæ defensionem, insausto institutæ disputationis exitu commoti, Molinæ Librum, tanquam de hæresi suspectum, sacro Inquisitionis Tribunali denunciant; ut hæc saltem speciosa in illum actione publicam indignationem avertant.

16. Jesuitæ Salmanticenses, clarigationis duntaxat jure, Calvinismi Prædicatores incusant, utque Pelagianismi accusationem declinent, qua primum ab illis appetiti fuerant, teste Joanne Martinez de Ripalda, Societatis Scriptore.

17. E Censuris viginti, & una, seu jubente Clemente VIII., seu rogante Generali Hispaniæ fidei Quæstore, datis in hujus causæ prologo, unica Prædicatores æque, ac Jesuitis incommodat: cæteræ omnes in Molinæ caput pronunciantur. Quatuor quidem, tamen illum ab hæresi vindicent, novitatis tamen, audaciæ, ac temeritatis passim incusant; ejusque doctrinam probabilem dicunt, sua tamen Prædicatores probabilitate servata, potiorique jure asserto. Sexdecim, Prædicatores doctrinam necessario, certoque tenendam, definiunt; Societatis vero Dogmata, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, ac etiam hæretica *respective*, proscribunt.

18. Interdictum de Divinis Auxiliis disputandi, initio latum, a Clemente VIII. demum temperatur, daturque disputandi venia; ita tamen, ut Prædicatores plena concedatur, de gratia scilicet disputandi juxta D. Thomæ mentem, uti hætenus egerant: cum contra Jesuitis circumscriptione temperetur; ut nimirum eodem de argumento disputent, non ut hætenus egerant, sed modo sanam doctrinam tueantur.

19. Ludovicus Cardinalis Madrutius, primus ab Apostolica Sede Molinianæ causæ Cognitor datus, litem Prædicatores adjudicat, Je-

suitas suscitati Pelagianismi incusat, in privati documentis, quæ moriens Clementi VIII. tradi jubet.

20. Gregorius de Valentia, Molinianæ causæ publicus Actor in Congregationibus Auxiliorum, coram Clemente VIII. profertur sapienter: nolle se Molinæ doctrinam, uti probabilis fore, tueri, sed solum ut ab hæresi liberam.

21. Multa sibi in Molina non probari, tandem aliquando fatetur Societatis Præpositus, Clementem VIII. alloquens. Quin etiam Indicem expurgatorium, a suis paratum, ait, quo multa in eo notantur, Censura digna.

22. Concedunt Societatis Oratores in solemnibus congressibus, modum, quo Prædicatores physicam Prædeterminationem exponunt, probabilem videri posse.

23. Prædicatores doctrinam, quam antea hæreses incusaverant, admitti tandem, atque, uti probabilem, dari, postulant quam sæpissime, tum libellis supplicibus, Summo Pontifici datis, tum oblati pacis conditionibus; modo suæ quoque sententiæ probabilis sit concedatur.

24. Litem bona gratia componi sæpius rogant, varias compositionis rationes offerunt; adeo scilicet iniquis titulis litigant! Contra vero, Prædicatores oblatas conditiones constanter repudiant, optimi juris fiducia tuti.

25. Commendatitias Epistolas undecumque emendicant, Potentem gratiam, & præsidium aucupantur; ut quod in suæ doctrinæ eventilatione obtinere ex jure nequeunt, favore extorqueant.

26. Achilles Gagliardi, a Societate delegatus, suos excessu peccasse, bona fide profitetur, dato Pontifici Libello supplicis, illosque paratos, ait, novum a se inventum systema excipere, proscripserunt Moliniano.

27. Scriptum, in quindecim Articulis digestum, adornat Clemens VIII. quo suam de controversis questionibus mentem obfignat, & Thomistica Scholæ partes innumeris S. Augustini testimoniis adstruit; nihil quidem suprema auctoritate sanciens, sed privati Doctoris judicium ferens.

28. Missa in aliud tempus lati judicii promulgatione, quasi extremo subduci periculo triumphant Jesuitæ; publicas lætitiæ significationes edunt, ludos, & choreas agunt: Prædicatores ex opposito, audito rei nuncio consternantur. Quid ita? Nisi quod illi pendente sententia sibi adversam præsentiant; isti sibi propitiæ certo norint: illi improbo; isti optimo jure litigent?

29. Prædicatores, ut medicatum Judicium publice prodeat, instant sæpenumero, ac repetitis supplicationibus, Jesuitæ, ne prodeat, modis omnibus adnituntur. Quid ita porro, nisi quid sibi dorso penderet, certo scirent?

30. Cardinalis Perronius, præcipuus Romæ Molinianæ causæ patronus, patriæ tandem redditus, contestatur, non ea se periclitanti Societati officia contulisse, quod ejus sententiam probaret magis, cum contra Thomistis assentiretur; sed quod ita in mandatis haberet ab Henrico IV. Galliarum Rege, cujus nomine Legationem obibat Romæ.

31. Ferdinandus de Bastida, eruditissimus Societatis Actor, solus demum Congregationibus, castra mutat, & in Prædicatores sententiam venit Vallisoletani, in exercitationibus Academicis pro gradu litterario obtinendo.

32. Claudius Aquaviva, Præpositus Generalis, qui universum pene Ordinem in Molinæ defensionem armaverat, Molinianum tandem Systema a

Do-

Domesticis scholis solemnibus decreto proscribit, ut Suaresii temperamentum inducat.

33. Moliniani Systematis de gratia versatili, & Libero Arbitrio subdita, interpretatio, a nonnullis hujus scholæ Professoribus data non ita pridem, ac vindicata, ab Innocentio XI., de consilio suprema Inquisitionis Romanæ, proscribitur Edicto publico.

34. Decretum Capituli generalis Instituti cuiuspiam Religiosi, quo statuerant, ut Moliniana dogmata de Gratia, Scientia-Media, & Prædeterminatione, meritis nixa, in Provincia Belgica, ad evitandos nefcio quos errores, a suis Professoribus traderentur, ab eadem Romana Inquisitione generali rescinditur, & a domesticis Ordinis tabulis expungitur.

35. Augustinensium Ordo doctrinam de gratuita Prædeterminatione, & Gratia seipsa efficaci, decretis sancit, Molinianam explodit, ac, ne a suis doceatur, statuto vetat.

36. Hanc ipsam doctrinam, erroris a nonnullis notatam, ac fugillatam, non modo ab injuria vindicant Romani Censores sub Innocentio XII., verum etiam communem Patrum sententiam vocant, data Censura, quam facer ipse tuendæ fidei Senatus suam facit; atque, ut illi subdicit præcepit calumniam, Rescripto jubet.

37. Excitatos Ludovicus Molinæ triumphos disjecit Rhemensis Archiepiscopus, lata Censura.

38. Eiusdem de gratia, iis conferenda, qui solis naturæ viribus adnituntur, Sententiam Censorio stigmatem inurit Clerus Gallicanus, die 4. Septembris 1700.

39. Postrema editio Concordiæ Molinianæ Antverpiæ adornata est anno 1595., multis expunctis, que in prioribus editionibus ipsi Auctori visa sunt magis a probatis Theologorum placitis aliena. At deinceps ab illo anno ad nostra usque tempora nullam ausi sunt Jesuitæ insaultæ Concordiæ editionem procurare, nimirum, ex quo tot illius capita nigro lapillo notata sunt a Censoribus Romanis: nec impune illam hodiernis typis subijcere sinerentur Societatis Proceres, ipseque Generalis Præpositus.

40. Ultimi in gratiam doctrinæ Augustino Thomistica Præjudicii loco fit suprema Eminentissimi, doctissimi, piissimique Cardinalis Hieronymi Casanate dispositio, qua, non Patres Jesuitas, sed Patres Dominicanos, bonorum suorum, magnam partem, scripsit hæreses, ut S. Thomæ doctrina, ab Augustino hausta, ab illis quotidie traderetur, gaudente Roma, approbante Pontifice, plaudente Orbe Catholico.

*Si respondere cogitas, noli causam relinquere, & in supervacaneis evagari. Ea, que dicta sunt, in tuere: ad ea, que dicta sunt, non fallaciter eludendo, sed rationabiliter disputando, responde.* August. Lib. 29. Cont. Gaud. Cap. ultimo.

FINIS TOMI PRIMI.

